

30  
~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



DISPUTATIO VI.  
ETHICA

81

*De*

TEMPERAN-  
TIA.

*Quam*

DEO TRIUNO ANNUENTE

In Illustri & celeberrima Academia VVittebergensi,

*PRÆSIDE*

*Clarissimo Philosopho*

Dn. M. IACOBO MARTINI,

Logices & Pract. Philosoph. Pro-  
fessore publ.

*Proponit*

GEORGIUS MOLLERUS  
HALA-SAXO.

*Ad diem 27. Aug: Loco & Horis consuetis.*

*VVITTEBERGÆ,*

E Typographéo JOHAN. GORMANNI.

*Anno M. DC. XIV.*

AN  
T. H. C. T. E. M. P. T. I. C. A. M. A. N. N.

Christophorus  
F. ...  
...  
...

Th. ...  
...

ST. ...  
...

...

F  
ra  
du  
bisint  
& ...  
praele  
G  
Fortisuc





DISPUTATIO VI.  
De Temperantia.

Continuatio.

**F**ortitudini statim subicit Philosophus *Temperantiam*: Absq; dubio hanc ob causam: quod duæ istæ virtutes (a) sunt, quæ propriè in nobis intrinsecus animi irrationalis potentiam *συμοειδῆ* & *ἡπιθυμητικὴν* (b) absolvunt & perficiunt: illam, præsertim *Fortitudo*, hanc *Temperantia*.

(a) Piccol. in *Philos. moral. gr.* 4 cap. 29. Acciajol. in *com. Eth. lib. 3. cap. 10. n. 115.* (b) hanc distinctionem habes apud *Aristotel. lib. 1. Mag. Moral. cap. 13. & lib. 2. Eud. cap. 7.*

Thesis I.



**E**St igitur *Temperantia* sive *σωφροσύνη* μεσότης πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας: mediocritas inter voluptatem & huic oppositum dolorem, (c)

(c) *Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. cap. 10. lib. 1. M. M. cap. 22. li. 3. Eudem. cap. 2. lib. de virtutibus cap. 5. & 21.*

II.

Genus patet. Differentia sumitur ab *Objecto*, quod ut *Fortitudinis*, (d) sic quoq; hujus virtutis duplex facimus: ἡδονὰς  
A 2 nini-

nimirum (e) καὶ λύπας : illas solum σωματικὰς, & ex his, quæ afficiunt gustum & tactum, & percipiuntur ex cibo, potu, & Venere.

(d) ex lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. cap. 7. & 9. lib. 1. M. M. cap. 21. lib. 3. Eudem. cap. 1. (e) Sed non ut omnium virtutum lib. 2. Eth. Nicom. cap. 3. ubi voluptates & dolores in genere considerantur: neq; ut continentia & incontinentia lib. 7. Eth. Nicom. cap. 4. quæ has pro objecto habent. ὅσα τὴν περὶ αἰσθησίν.

III.

Magis autem circa voluptates quàm dolores occupatur Temperantia. Ratio: Quia difficilius: & virtutis est versari circa difficiliora.

Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 3.

IV.

Esse autem voluptates illas corporis, nempe gustus & tactus revera Temperantiæ objectum, hæc probant rationes: 1. Quia hæc voluptates hominibus (f) cum bestiis sunt communes. 2. Quia propter horum usum moderatum homines commendantur, (g) propter immoderatum, viruperantur. 3. Quia Temperantiæ munus est, appetitum (h) moderari, ut intra terminos hominis quis se contineat, neve bestiis fiat similior aut deterior.

(f) Arist. lib. 1. M. M. c. 22. (g) idem lib. 2. polit. cap. 3. (h) Idem lib. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 9. Cic. lib. 5. de finib. lib. 3. Offic. & ad Q. Fratr. Epist. 1.

V.

Circa voluptates Gustus & Tactus est Temperantia: sed non par est utriusq; ratio. Primas enim tactui adscribimus, circa quem virtutem hanc magis, quàm circa gustum versari asserimus: 1. Quia non tanto desiderio intemperans saporis expetit, quàm tactum, utpote magis delectabilem. 2. Quia voluptates gustus inchoatæ quasi sunt & tantùm imperfectæ, dum in exigua corporis parte surgunt, & non per totum diffunduntur corpus, ut voluptates tactus. 3. Quia etiam Gustus non nisi per tactum jucundus est: quod intelligens Philoxenus Eryxius ἰψοφάγος (i) guttur, gruis collo longius, dari sibi optabat, quo diutius suavia cibi potusq; tactu afficeretur. (i) Arist. 3. Eth. Nicom. c. 11.

6. Noni

## VI.

Non etiam omnem Tactum hic intelligimus. Sunt enim adhuc alia voluptates, quæ per tactum quidem fiunt; sed ἐλαττοριόταται, hoc est, maximè liberales à Philosopho dicuntur, nempe quæ sanitatis, aut alius utilitatis & honesti finis gratia fiunt, ut sunt corporis exercitia, frictions, calefactiones & similia.

## VII.

Cæterùm quia hoc est de natura voluptatum, ut sui desiderium & cupiditatem, cum in hominibus tum in alijs animalibus excitent, ductum Philosophi sequentes, cupiditates quoq; hic videamus.

## VIII.

Distinguuntur ergo cupiditates ratione voluptatum, à quibus cientur, ita ut sint vel naturales & communes, vel accersitæ & peculiare.

## IX.

Priores omnibus à natura (k) animalibus induuntur, dicunturq; ista secundum illas τῆ φύσιν aliquid appetere: & faciunt eo vel, ut individuum in suo Esse conservetur; vel ad justum proportionatum esse deducatur, vel ad permanens esse ratione suæ speciei perducatur.

(k) Arist. lib. 7. Eth. Nicom. cap. 10. lib. 10. eor. cap. 5. Cicero lib. 2. de finibus.

## X.

In his peccant pauci: & si peccant, in excessu (l) peccant, quod nimirum plus cibi potusq; assument, quàm sana ratio probat aut suadet.

(l) Arist. lib. 3. Eth. Nicom. cap. 11. lib. 2. eor. cap. 8.

## XI.

Ita in excessu peccantes nominare possumus γαστριμαργεῖς, *ingluviosos*, ventri ad insaniam usq; indulgentes. Dicamus etiam tales homines serviles: quia à cibo cum cessandum est, non cessant: in seipsos (m) sæviunt: vitam secularem lædunt, æternam remittunt.

(m) Non tamen seipsos injuria afficiunt, quod defenditur à Philosopho lib. 5. Eth. Nicom. cap. 11. lib. 1. M. M. cap. 34. lib. 4. Eud. cap. 9.

A 3

12. Alte-

ex his, quæ  
potu, & Ve-

9. lib. 1. M. M.  
virtutum lib. 2.  
re consideran-  
Nicom. cap. 4.

es occupatur  
is est versari

gustus & ta-  
ones: 1. Quia  
unes. 2. Quia  
ndantur, (g)  
perantia mu-  
hominis quis

cap. 3. (h) Idem  
lib. 3. Offic. &

ntia: sed non  
ibimus, circa  
sari asserimus  
experit, quan-  
voluptates gu-  
lum in exigua  
tur corpus, ut  
si per tactum  
s ἐψοφάγῃ  
pro diutius sua-  
Eth. Nicom. c. 11.  
6. Non

## XII.

Alterius generis cupiditates, nempe accersitæ & peculiare, non sunt animalibus à natura congenitæ: sed privata & pravâ consuetudine à quolibet comparantur.

## XIII.

Suntq; tursus duâ generum. Vel enim naturale quod includunt: quales sunt, quæ à temperamento oriuntur: ut quod temperamento præditi calidiori & sicciori, frigidiora & humidiora appetant. Vel nihil naturale habent, sed ἀπλῶς ex quadam sive consuetudine sive persuasione, sive alia aliqua ex re manant, & in diversis hominibus diversæ deprehenduntur.

## XIV.

Circa hac accersitas & proprias varijs peccari solet modis: Vel enim tales cibi & potus expetuntur, qui naturæ potius adversantur, quàm conducunt: Vel plus expetitur, assumiturq; quàm par est: vel indifferenter appetitur, quicquid offertur, sive gratum & salutare, sive non: vel in appetitu illo non justus observatur modus: vel non attenditur locus tempusve, quo expetendum quodq; oportebat.

*Cicero lib. 1. de finib. cupiditates istas vocat inanes. Videatur etiam Arist. lib. 3. Eth. Nicom. cap. 11.*

## XV.

Hinc accedimus ad alterum Temperantiæ objectum, Dolores, quos Fortitudini etiam Aristoteles (n) pro objecto tribuit: sed respectu longè diversissimo. Fortitudo enim per se circa dolores versatur, dum docet, quomodo vir fortis eos moderate ferre debeat, neq; ita fugere, ut contra honestatem quod sit, committat: Temperantia verò & Intemperantia per accidens solum circa dolores occupantur: videlicet, quatenus voluptatum absentia intemperantem afficit, qui dolet, quod voluptatibus frui nequit. Dolores igitur primariò Fortitudini: contra Temperantiæ primariò Voluptates, secundariò (o) dolores objectæ sunt.

(n) *Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. c. 6. & 11. lib. 1. M. M. cap. 21. lib. 3. Eud. cap. 1.* (o) *Arist. lib. 3. Eth. Nicom. cap. 10. & 11.*

16. Unde



## XVI.

Unde fit, quòd Intemperans dicitur, non, qui dolores nimium fugit: sed qui dolores concipit ob voluptatum absentiam, & ægrè fert, quod ab illis abstinere debeat. Quod quia ita fit, illi non videntur dextrè satis sentire & loqui, qui Temperantiam solùm in voluptate, Fortitudinem tantùm in dolore versari dicunt.

## XVII.

Actio igitur Temperantis consistit in moderata absentium voluptatum expetitione, & præsentium fructione: Officium verò, ut caveat, ne si voluptates illicitæ non adsint, doleat, sed ut illis spontè abstineat: licitas autem ut ita appetat percipiendas & perceptis ita fruatur, ut nihil committat quod vel famæ vel existimationi officiat, vel valetudinem lædat, vel familiari rei damnum inferat: Ad summam: Temperans debet in id incumbere, ut probè examinatis omnibus circumstantijs, id quod honestati conveniens est, tantùm agat.

*Arist. lib. 3. Eth. cap. 11. & alijs in locis.*

## XVIII.

Atq; hæc de mediocritate, quæ *Temperantia* est, dicta sufficient: Jam pauca etiam (cum rectum sui & obliqui index sit, contrariæq; juxta se posita (p) magis elucescant) de extremis ejusdem afferemus, virtutisq; doctrinæ vitiorum ἐξήγησιν breviter annexemus. Quemadmodum autem omnis mediocritas inter duo extrema versatur: sic etiam *Temperantia* inter excessum & defectum (q) media interjacet.

(p) *Arist. lib. 3. Rhetor. ad Theod. cap. 2. & 17. & 22. sect. probl. 11. (q) lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. cap. 11. lib. 2. Eudem. cap. 3.*

## XIX.

Excessus *Temperantiæ* est (r) ἀκολασία *Intemperantia* quæ finitur (s) vitium, quæ vis voluptates, nullâ habitâ ratione honestatis, immoderatè expetens,

(r) *Arist. lib. 2. Ethic. Nicom. cap. 7. & lib. 3. eor. cap. 11. lib. 2. Eudem. cap. 3. (s) Arist. lib. 3. Eth. cap. 11.*

& peculiare,  
vata & pravâ

urale quod  
tur: ut quod  
pra & humi-  
g ex quadam  
re manant,

solet modis:  
potius adver-  
niturq; quam  
ar, sive gra-  
justos obser-  
quo experi

deatur etiam

hjectum,  
objecto tri-  
nim per se  
is eos mode-  
em quod sit,  
per accidens  
nus volupra-  
od voluptari-  
dini: contra  
dolores obje-

& 11. lib. 1. M.  
ap. 10. & 11.  
16. Unde

## XX.

Hoc qui laborat virio, affectibus & cupiditatibus sum pueris similes. Hi enim ut sine ratione quævis accipiunt, sic isti omnibus in rebus modum transeunt. Hinc recte delictum ἀκολασία puerile dici potest: cum præsertim intemperantis cupiditas magnam cum puero habeat similitudinem.

## XXI.

Ejusmodi igitur Intemperans, si ad medium redire velit duo hæc adhibeat remedia: Abstinenciam & castigationem.

## XXII.

Cohibeat ergo libidinosum animum jejuniis: præcipitentem & effrenem, consilio: præcipitentem flagello: quia labentes consilium, jejuniis lapsos, furentes flagella sanant: uti ipsa testatur experientia.

## XXIII.

Defectus Temperantia vocari solet ἀνασθησία, vel sensuum stupor, & finitur immanitas quædam in aspernandis omnibus, etiam necessarijs & honestis voluptatibus.

*Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. cap. 11. lib. 1. M. M. cap. 22. lib. 3. Eudem. cap. 2.*

## XXIV.

Vitium inter homines est rarissimum: in ò rarissima talia animalia, quæ non jucunda ab injucundis discernere possunt: ac propterea etiam nomen habere ferè non potuit: quæ admodum multa reperiuntur, quibus imposita nomina non sunt.

*Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 3. eor. cap. 7.*

## XXV.

Interim ἀκολασία magis in reprehensionem incurrit: 1. quia magis voluntaria est: 2. quia minori periculo ἀκόλασις à voluptatibus sibi temperare potest: 3. quia naturâ ad voluptates (τ) sumus procliviores, & in his peccatum medio magis repugnat.

(τ) *Elegantissimum locum vide lib. 2. Eth. Nicom. cap. 8. Item lib. 1. M. M. cap. 9.*

PRO.





## Problemata.

### I.

*An Intemperantia sit turpius vitium, quàm timiditas. Affirmamus cum Aristot. lib. 3. Nicom. cap. 12. 1. Quia est magis spontanea. 2. Quia ad eam facilius homines possunt assuefi. ri.*

### II.

*An heluo quia febricitans à vino abstinet, temperans sit habendus. Nullo modo. Abstinet enim coactus & medici praescripto.*

### III.

*An uni homini liceat plus edere, quàm alteri. Omnino. Quia unus homo magis fame vel siti laborat, quàm alter, majoreq; quantitate indiget alimentorum, quod majorem concoquendi alimenta habeat virtutem, quàm alter.*

### IV.

*An abstinentia & Sobrietas sint distincta species Temperantiae. Sic putamus. Abstinentia enim circa cibum est: Sobrietas circa potum.*

### V.

*An castitas sit species Temperantiae. Omnino. Est enim in affectu Venereo moderando occupata.*

### VI.

*An queri possit à mediocriter docto: Estne virginitas species castitatis? Non puto. Interim à nonnullis qui eruditè videri volunt, quæritur.*

7. An

VII.

*An in Republica bene constituta lupanaria toleranda?  
Non. Omnem enim scortationem extremis castitatis accen-  
semus.*

VIII.

*An ebrietas Noa excusari possit. Potest inter alia pro-  
pter ignorantiam facti. Nam licet communem vim vini non  
ignoraverit; non tamen scire potuit vim hujus Armenici.  
Quò pertinet sententia Theodoret: Experientia causa  
bibit Noah & inebriatus est, non ex ingluvie.*

IX.

*Quid de incestu Loti cum filiabus sit sentiendum. In  
utraque parte in quartum & sextum Præceptum atrociter pec-  
satum fuit.*

X.

*An Choreæ ferendæ. Omnino ab honestis & mo-  
destis honestè & modestè  
fieri possunt.*

F I N I S.



*Eruditionis politie cultus  
Juveni*

**Dn. GEORGIO MOLLERO**  
amico meo dilecto,

**D**um Claras Clario pugnas sub Prae-  
side pugnas (boni;  
Fortiter, & genij das documenta  
Dum tibi se comites Stimula, Adjuva, Perfi-  
ca praestant,

Barbaria citius quò fera monstra domes,  
Applaudens, MOLLERE, tibi sic auguro:  
Celsus

MOLLERO dabitur Laudis in aede locus.

M. Casp. Sternenbeke  
Dresdens.

---

*Ad Doctissimum*

**Dn. RESPONDENTEM**  
Ethicè differentem.

**D**um Initis Logicis te vertis ad Ethica?  
rectè, (decet.  
Nam cunctas artes addidicisse  
Ethi-

*Ethica ritè docent quæ sunt faciendâ beatâ,  
Quæ fugiendâ malis Ethica ritè docent.  
Vita igitur tua, fac, thesibus respondeat hisce,  
Et ne diversum vita thesesq; sonent.  
Mittant arma alij, tu fortis pelle repelle  
Accipiens CLARI Præsidis armatui,  
Sic cuncti merita laudis tibi munia pandent,  
Moralemq; omnis te vocitabit homo.*

Φιλίας χάριν ἔγραψε

Jonas Siegfridus  
Magdeburgâ-Saxo.



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]




Sb.

VD 17







87  
DITATIO VI.  
ETHICA

*De*

PERAN-  
TIA.

*Quam*

UNO ANNUENTE  
prima Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

*ssimo Philosopho*

JACOBO MARTINI,  
tract. Philosoph. Pro-  
fessore publ.

*Proponit*

US MOLLERUS  
ALA-SAXO.

*ing: Loco & Horis consuetis.*

WITTEBERGÆ,

JOHAN. GORMANNI.

M. DC. XIV.